

oblatam dextram fraternitatis fidei praeberere, ut illaesam conscientiam servaret, plane recusavit, dextera tamen humanitatis porrecta, ad quam Beza respondit: *Quia dexteram fraternitatis nobis porrigere recusatis, & nos pro fratribus agnoscere non vultis, amicitiae dexteram etiam nolo*; Responsum est a Jacobo: *Ergo intermittatur!* Quem hac in re probe & cordate se gessisse, oculorum & mentis adspectus unumquemque docebit, pie & sobrie hoc Colloquium perlustrantem. Provocamus, uti ad alias Collocutiones, ita ad illam, quae Lipsiae, tentandae concordiae causa, exacto ab hinc Seculo, instituta est, in qua post ea, de quibus utrinque aliquis consensus resultavit, alia quaedam momenta aperti dissensus, ejusque satis magna & ponderosa remanserunt; cum primis vero apparuit, communicationem donorum infinitorum, ad carnem a λόγῳ vere & realiter factam, a nostratibus semper affirmatam, a Reformatis constanter negatam esse. Accesserunt, ex parte horum, tot Anathematismi in nostram doctrinam, quam uti nonnullos non intellectam vel perversam damnasse, non negamus, ita a pluribus mentem nostratium bene perceptam fuisse, nulli dubitamus.

§. III. Insigne itaque artificium adesse oportebit, quo demonstretur modus, ut, recte percepta disputantium mente, & salva quidem veritate, Reformati cum nostra Ecclesia conglutinari & uniri possint. Neque dubitat Allocutor sibi hoc tribuere, ut credatur istud invenisse. Scribit enim: *Ubi Reformati negent, communicationem inter duas naturas dari, intelligi ab ipsis talem, quae fiat per transfusionem, qua attributa, seu idiomata divina in humanam naturam transfundantur, & transmeent, quam vero nemo sit Theologorum A. C. tam insulsus, ut statuat. Vicissim vero, ubi Theologi A. C. affirmant, dari utique istam communicationem Idiomatum, ipsos saltem eam indigitare, quae sit secundum conjunctionem, qua divina & humana natura in Christo personaliter invicem secum jungantur, & quam profecto Reforma-*